

120
12432
TP 483 P 24

QUAESTIONUM
FULGENTIANARUM

CAPITA DUO.

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

OBTINENDORUM CAUSSA

SCRIPSIT

AEMILIUS IUNGMA

THURINGUS



LIPSIÆ

TYPIS B. G. TEUBNERI

MDCCCLXX

Bibliothèque Maison de l'Orient



071891

Caput I.

De Fabii Planciadis Fulgentii aetate et scriptis.

Cum praeter ea quae ex ipsius Fulgentii verbis, eisque sat ambiguis atque obscuris, de aetate ac patria eius colligi possunt, nullum omnino testimonium exstet quo de scriptore certiores fiamus, mirum non est quod nondum inter viros doctos convenit, quo ille tempore quave in terra scripserit. Admodum enim inter se discrepant, ut de prioribus taceam, qui nuperrime in hanc rem inquisiverunt: Zinkius¹⁾, Luc. Muellerus²⁾, Reifferscheidus³⁾. Quae cum ita sint, haud inutilem operam suscipere mihi visum, si denuo hanc rem in quaestionem vocarem.

Et tota quidem haec quaestio nitatur necesse est nonnullis 'Mythologiarum' librorum verbis, quibus scriptoris aetate patriam primum bellis vexatam, postea 'felicitate regis adventantis' servatam esse docemur. Quae res quo spectent ut dilucide appareat, primum diiudicandum erit, quaenam omnino Fulgentii patria fuerit⁴⁾: nam etiam nunc, utrum Hispanus an Afer fuerit, res controversa est, cum Hispaniae eum Lerschius⁵⁾ et Muellerus, reliqui Africae attribuunt. Omne autem Lerschii atque Muellerei sententiae fundamentum subtrahitur, si libellum 'de aetatibus

1) in dissertatione doctissima quae inscribitur 'Der Mytholog Fulgentius', ed. Virceburgi a. 1867.

2) in Fleckeiseni annalium vol. XCV p. 791 sq.

3) in Musei Rhenani novi vol. XXIII p. 133 sq.

4) Zinkius enim quod p. 4 § 3 scribit: 'in den handschriftlichen titeln wird Fulgentius übereinstimmend Carthaginiensis genannt', graviter errat; equidem saltem eiusmodi titulos non novi ac ne unum quidem exstare contenderim. Immo vero amicus, cui libros suos dedicavit scriptor, aliquoties Carthaginiensis appellatur.

5) in libro qui inscribitur 'Fabius Planciades Fulgentius de abstrusis sermonibus', ed. Bonnae a. 1844.

mundi¹⁾), quem oblivione prorsus obrutum nuper in lucem protulit Reifferscheidus, ab eo de quo agimus Fulgentio profectum esse probatur: huius enim libri scriptor compluribus locis semet esse Afrum profitetur. Reifferscheidus autem cum breviter tantum significarit potius quam demonstrarit Planciadi Fulgentio eum librum tribuendum esse, iam meum est, ne temere viri illius docti sententiam sequi videar, comparatione cum reliquis Fulgentii scriptis instituta probare, adeo totius libri tenorem cum illorum indole congruere ut 'vix pilus sit discriminis inter scribendi rationem, quam ostendat auctor hic noster, et eam qua usus ille est voluminibus sub eius nomine divulgatis.'²⁾

Antea autem monuerim, nihili esse argumentum quod ultimo loco ponit Reifferscheidus dicens: 'endlich verräth er sich (scriptorem 'de act. mundi' dicit) als denselben ebenso eitlen wie unwissenden betrüger, den uns die andern schriften, namentlich

1) 'Liber absque litteris de aetatibus mundi et hominis, absque A. absque B. etc. auctore Fabio Claudio Gordiano Fulgentio V. Cl. Eruit a manuscriptis codicibus P. Jacobus Hommey Augustianus, et notis illustravit. Ed. altera auctior. Prostat Parisiis. MDCXCVI.' Exempla huius libri rarissima esse videntur; equidem unum tantum alterius editionis novi, quod cum in bibliotheca Georgia Augusta Gottingensi exstare Reifferscheidus, qua est liberalitate, me docuisset, praeceptore Ritschelio intercedente inspicere mihi licuit.

2) Verba sunt Iac. Hommei 'Notarum' p. 52: nam is quidem ante Reifferscheidum vidit librum a Fulgentio episcopo abiudicandum et Planciadi tribuendum esse, cum p. 51 sq. haec scribat: 'At certe vix ea [h. e. Sigeberti Gemblacensis testimonium] movent, cum artificii fucus, opinio- num singularitas, studiosus spumosa qui affectatur facundiae ambitus, ab indole Fulgentii [i. e. episcopi] experiar [?] penitus aliena, vixque in mentem cadere possit, monachum, abbatem, episcopum, qua morum castigatione vixit, ingentibus praeterea, dignis necessariisque negotiis pressum, vel ad amici preces eo se inflexisse, ut operi indulgeret quod, si utile, et profectum pium ac serium, magis tamen prima fronte ludicrum saperet, ut otiosum'. — 'Excidit itaque, cui placuerit, Fulgentius Ruspensis a iure suo transibitque ad Placiadem; qui litem dirimeret nostram, si exploratum esset oriundum ex Africa, quandoquidem et denominationes, quas prae se fert huiusce tractatus frontispicium, Fabii, etc. ab iis, quas ab historicis obtinet non plurimum absint, vixque pilus sit discriminis' e. q. s. — In transcurso commemoro hos libelli huius exstare codices mss.: Sorbonicum 268 saec. XIII; Reginensem 173 saec. XII; Taurinensem D. IV. 39 saec. XIII; Palatinum 886 (cf. Wilmannsii dissertationem in Mus. Rhen. vol. XXIII p. 395); Belgicum quendam, de quo cf. Act. Sanctor. Ianuarii tomi I p. 972.

die *expositio* zeigen. In der vorrede erwähnt er als Vorbild seines *mirificum opus* einen Dichter Xenophon . . . der sicher mit den übrigen Citaten des Fulgentius auf eine Linie zu stellen ist.' Nam ex Fulgentii verbis apparet ab ipso poetae illius nomen effectum esse non posse, cum amico, cui librum dicatum esse vult, p. 3 haec scribat: 'dixisti enim legisse te librorum bisduodenum volumen Xenophontis poetae in singulis libris singulis litteris imminutis, quod quidem opus mirificum cuncti qui interfuimus iuste praetulimus' e. q. s. Utcunque igitur de Xenophonte illo statueris, ipsius Fulgentii commentum hac in re minime agnosces.

Iam vero, ut primo statim obtutu in oculos incurrat, quanta similitudo inter hunc libellum et reliqua Fulgentii scripta intercedat, adscribemus nonnulla enuntiata (sumpta ea ex prooemio: nam ut reliqua non congruant, ipsa libri natura fert, quippe qui 'absque litteris' compositus sit) cum reliquorum librorum locis collata:

Praef. p. 1 sq.:

'Oportuit quidem, virorum excellentior hoc nostro quo nuper regimur temporis excursu, perenni potius studere silentio et non dicendi studio, praesertim ubi nihil plus nisi de nunni quaestu res vertitur et conquirendi lucri perennis sollicitudo quotidie mentibus supputetur.'

'in silentii cinerem migrent necesse est tot lucernae pervigiles et sine effectu honoris productae usque in crepusculum noctis.'

Hic quoque liber reliquorum instar amici alicuius iussu paratur:

'et crede, teste deo nostro confiteor, voluisssem tuam in his opusculis praeceptum spernere nisi hoc meo indixissem ingenio, tuo nullo modo inobediens inveniri imperio' — — 'ergo decuit mihi, domine, propter quem hunc nostrum ordiri libellum videor, vel quo impellente onus durissimum subire cognoscor' e. q. s.

Virgil. Contin. init.:

'Expetebat quidem, Levitarum sanctissime, nostri temporis qualitas grande silentium.' — In prologo Mytholog. libr. haec sunt: — — 'quia nostri temporis aerumnosa miseria non dicendi petat studium, sed vivendi fletu ergastulum.'

Myth. libr. prol. p. 3 Munck.:

'quam . . . nocturna praesule lucerna commentus sum, ita somniali figmento delusam' e. q. s.

Expos. serm. ant. prol. p. 167:

'ne de tuorum praeceptorum serie, domine, nostra quidquam decurtasse inobedientia putaretur, libellum etiam' e. q. s.

Virgil. Contin. prol. p. 137:

'in amoris praecepto contentus nunquam admittitur; ob hanc rem' e. q. s.

Praeterea verbis Virgilianae continentiae his p. 142: 'serva istaec, quaeso, Romanis tuis' respondent huius libelli complures loci,

e quibus hunc quoque scriptorem non fuisse Romanum apparet: nam quovis modo Romanis obtrectare studet, velut cum scribit in libro XI: 'Roma turpi admodum et criminoso mancipata principio', vel alio loco: 'Romanum ergo imperium suo exteroque sanguine enutritum est . . . crevitque semper aut alieno damno aut suo potius detrimento' e. q. s.

Quanta denique locutionum similitudo in utrisque libris appareat, uno manifesto exemplo demonstrasse satis habeo. Exstant enim in Virg. cont. p. 139 haec verba: 'esto ergo contentus, mi domine, leviori fasciculo, quem tibi Hesperidum florulentis decerpimus hortulis; aurea enim mala si expetis, esto Eurystheus alio fortiori' e. q. s.: quibuscum conferas Iulius libelli p. 2 verba: 'esto ergo contentus huic oneri quod tibi florulentis excerpimus hortulis Pieridum et sicut Eurystheus mihi imponendo sudore herculeo praefuisti.'

Ab hac igitur parte non dubium videtur, quin Planciades Fulgentius hunc quoque librum conscripserit¹⁾; illud autem nunc quaeritur, nomina quae sunt 'Fabius Claudius Gordianus Fulgentius' quomodo ad illum cui anteposita sunt librum pertinere possint. Et Reifferscheidus quidem nominum diversitate nisus acutius quam probabilius persuadere studet haec ipsa nomina ansam praebere ad Fulgentii aetatem accuratius definiendam, qua in causa sic ratiocinatur: 'jene alte vita (Fulgentii Ruspensis episcopi) berichtet ferner, dass Gordianus zwei söhne gehabt habe, Claudius und einen andern, dessen namen wir nicht erfahren. vielleicht hiess er Plancus und war der vater unseres Fabius, der sich ihm zu ehren Planciades nannte, während Fabius sein eigentlicher name war; in dem titel des mirificum opus führt er noch die namen seines grossvaters und oheims, nach einer sitte dieser zeit der πολυώνυμοι.' Primum autem non perspicitur, qui factum sit ut huic uni libro scriptor alia nomina atque reliquis praefigeret; tum vero iam Hommeius monet 'potius ad episcopum

1) Non mediocriter haec confirmatur sententia Reifferscheidi p. 143 hac adnotatione: 'dass die Metennia in der Expositio p. 399 (im Nonius v. Gerlach u. Roth) in dem angeblichen Rabiriusfragmente: *abstemium merulenta fugit metenia nomen* erwähnt wird, bei welcher stelle, wie die verschiedenen coniecturen zeigen, niemand an die anekdote von Metennius gedacht zu haben scheint, ist ein neuer schlagender beweis für die identität des Fabius Planciades Fulgentius mit unserm Fabius Claudius Gordianus Fulgentius.'

iure haereditario pertinere omnes significationes: Claudii a patre, Gordiani ab avo, Fabii a proavo aut atavo seniore, ut forte familiae commune nomen sit.' Deinde prorsus apertum est, unde haec nomina in libri inscriptionem irrepserint. Exstat enim Sigeberti Gemblacensis testimonium (de script. eccles. cap. 28), qui 'Fulgentius' inquit 'Ruspensis (episcopus) scripsit libros, quos praetitulavit "sine litteris, librum scilicet de Adam sine A" e. q. s. Cum igitur iste libellus pariter atque alia Planciadis Fulgentii scripta¹⁾ episcopi esse putaretur, fieri facillime potuit ut aut a librario aliquo non indocto inscriptis nominibus Fabii²⁾ Fulgentii adderentur episcopi nomina Claudius Gordianus, aut, id quod etiam magis commendari videtur, soli 'Fulgentii' nomini reliqua tria adicerentur. Nominum igitur diversitati vides adeo nihil tribuendum esse, ut non possis quidquam inde concludere. Hoc unum ex eis quae disputavimus collegisse satis habemus: Afrum fuisse Fulgentium, id quod vel ea, quae de Libyis tamquam suae ipsius linguae litteratura profert, confirmant³⁾.

Quodsi de scriptoris aetate quaerimus, dolendum est ea, quae de temporum rationibus in ipsius scriptis exhibentur, non tam

1) Sic Expositio serm. ant. in Vindobonensi 188, Vossiano, Leidensi codd. tribuitur episcopo; nec huc non referendus titulus ille mutilus, quem ex catalogo quodam medii aevi affert L. Muellerus: 'Sinonima Ciceronis et Fulgentius episcopus simul ad Chalcidium' (vide Fleckeiseni annal. vol. XCVI p. 67); nam procul dubio haec quoque inscriptio pertinet ad Expositionem serm. ant.

2) Non prorsus constat de Fabio nomine; codex enim Palat. 886 (cf. Wilmannsii dissertationem 'Der Katalog der Lorscher Klosterbibliothek' in Mus. Rhen. vol. XXIII p. 395) exhibet 'Fauui', sed A. Sanderus Biblioth. Belgicae manuscr. II p. 23 in catalogo veterum mscr. monasterii S. Lamberti Laetiensis tradit 'Flavii'. Contra monet Fabricius in bibliothecae med. et infim. latinitatis tomo II p. 656 Bollandum, qui eodem codice usus est atque Sanderus, eum appellare Fabium (cf. Acta Sanct. Ian. tom. I p. 972).

3) Verba haec sunt p. 3: 'Viginti igitur et duobus elementis penes Hebraeos ordo loquendi disponitur, uno itidem interiecto nostrae linguae profusio: sed et Romae colligitur. Si vero tertiae sequens litterae superieceris signum, graecae linguae necesse est integrum ut monstret effectum. Ergo ex quo in his operibus graecum praecessit ingenium, oportet deinceps nostrae linguae medium ordinem consequi, quo, non bis duodeno, vel bis undeno, sed graecis uno elemento subducto, et Hebraeis uno superposito unicus ordo libyco monstretur in numero' e. q. s.

plana esse, ut inde profectus statim certi aliquid colligere possis. Quod cum ita sit, primum temporis spatium, cuius intra fines Fulgentius necessario vixerit, definire studeamus; hac enim quaestione expedita facilius intelletur, quo spectent res ab eo commemoratae. Et quod ad terminum quidem 'a quo' quem dicunt attinet, apertum est Fulgentium post annum 439 vel potius 427 scripsisse: nam in Expositione serm. ant. sub voce 'coelibatus' Martiani Capellae de nuptiis Mercurii et philologiae libros commemorat, quem ante annum 427 scripsisse Luc. MueLLERUS in Fleckeiseni annal. vol. XCIII p. 705 sq. nuper eviecit. Terminus vero 'ante quem' scripserit necesse est, non tam facili opera definiri poterit. Circumspicientibus enim nobis scriptores, qui eum expilaverint, mythographi tantum Vaticani alter et tertius ab Angelo Maio in lucem protracti praesto sunt, de quorum aetate non constat. Nam quod etiam primum ex illis mythographum Fulgentii mythologiarum libros novisse Zinkius sibi persuasit, id vereor ut certis argumentis probari possit; plerisque enim locis, ubi summa inter utrumque scriptorem similitudo intercedit, res ita comparata est ut diiudicari nequeat, utrum sua Vaticanus mythographus e Fulgentio excerpserit, an potius hic, id quod mihi veri videtur similis esse, eodem quo ille fonte usus mysticas suas explicationes atque scriptorum testimonia addiderit¹⁾. Sed

1) Cum longum sit in omnes locos inquirere, unum exemplum, quo statim quae rei condicio sit apparebit, attulisse sufficiat. Exstant apud Servium ad Georg. lib. III v. 391 haec: 'nam non Pan, sed Endymion amasse dicitur Lunam, qui spretus pavit pecora candidissima et sic eam in suos illexit amplexus: cuius rei mysticae (al. *Burm. Mystici*) volunt quandam secretam rationem'. Quibus conferas verba Vatic. myth. I fabulae 229: 'Endymion pastor amasse dicitur Lunam seu Dianam, qui spretus pavit pecora candidissima et sic eam in suum illexit amorem: cuius rei mysticam quandam volunt rationem. duplo quippe modo amasse dicitur Lunam, seu quod primus hominum cursum lunae invenerit, unde et XXX annis dormisse dicitur, quia nihil aliud in vita sua nisi huic repertioni studuit, sive quod nocturni roris humor, quem tam siderum quam ipsius lunae vapores animandis herbarum sucis consudarunt, pastoralibus prosit successibus': haec autem Fulgentii Myth. lib. II fab. 19: 'Endymionem vero pastorem amasse dicitur, duplo scilicet modo: seu quod primus hominum Endymion cursum lunae invenerit, unde et XXX annos dormisse dicitur, qui nihil aliud in vita sua nisi huic repertioni studuit, sicut Mnaseas in primo libro de Europa scribens tradidit: sive pastorem Endymionem amasse fertur quod nocturni roris humor, quem aporrha siderum atque ipsius Lunae animandis

etiamsi Zinkio largiamur intercedere inter utrumque scriptorem illam quam statuit rationem, nihil tamen inde proficitur propterea quod, cui tempori mythographus ille tribuendus sit, item non constat; nam quae in paragraphi sextae initio de eius aetate Zinkius profert, bene quidem excogitata sunt, sed argumentis nituntur admodum infirmis vel potius nullis. Externa igitur testimonia, e quibus certus annus ante quem scriptor floruerit colligatur, cum non exsint, in eo acquiescimus ut illum e viro- rum doctorum consensu cum propter linguae colorem tum propter codicum condicionem¹⁾ non potuisse non ante septimi saeculi initium scribere statuamus.

Iam vero ipsius Fulgentii verba, quae ansam praebent ad aetatem eius accuratius definiendam, repetentibus nobis explorandum erit, quibusnam rebus intra descriptos annorum fines in Africa gestis respondeant ea quae ipse narrat. Duo imprimis in Mythol. librorum praefatione loci sunt, quorum hac in quaestione ratio erit habenda: prior p. 6, ubi haec refert: 'sopitisque in favilla silentii raucisonis iurgiorum classicis, quibus me Galagetici quassaverunt impetus, defaecatam silentio vitam agere creditabam', alter p. 7, ubi haec sunt: 'nec hoc tantum miseriarum ergastulum sat erat: addebatur his, quod etiam bellici frequenter incursus pedum domo radicem infingere iusserant . . . sed quia nunquam est malum immortale mortalibus, tandem Domini regis felicitas adventantis velut solis crepusculum mundo tenebris dehiscentibus pavores extersit.' Quodsi, qui dicantur hoc loco Galagetici impetus et bellici incursus, quos novus rex feliciter depellat, exploratum habuerimus, Mythologiarum saltem libri quo anno conscripti sint apparebit. Et 'Galageticos' quidem impetus, qui in libris omnibus produntur, recte sese non habere apertum est; nulla enim gens exstat, quae hoc nomine appellari possit. Altera autem corruptae vocis parte quin Goti significantur, dubium non est; pro priore autem (*Gala*) Salmasius

herbarum succis insudat, pastoralibus prosit successibus.' — Aut fallor, aut exstitit, id quod postrema eius verba docent, iam in Servii fonte mystica illa explicatio, quam hic ut supervacaneam suoque consilio minus aptam praetermisit, Vaticanus mythographus et Fulgentius receperunt, hic autem, qua est scriptorum commemorandorum cupiditate, Mnaseae inseruit testimonium. Videntur igitur hoc loco Servius, Vaticanus mythographus, Fulgentius ex uno eodemque fonte hausisse.

1) Cf. Bernhardii latinar. litt. historiam p. 350 adn. 247 ed. 4: 'aus diplomatischen gründen gehört er mindestens ins 6. jahrhundert.'

leni mutatione suasit 'Gallo', quo fit ut 'Gallogetici' prodeant incursus. Iam quaeritur, cui genti Gallogetarum nomen recte dari potuerit. Zinkius quidem id non dubitat ad ipsos Vandalos referre; verum in hos quidem dici fere nequit quam ista appellatio non quadret, id quod iam Munckerus (quem sequitur Lerschius) intellexit, cuius de sententia iniquius quam par erat Zinkius videtur existimavisse. Primum quidem multo exquisitius ideoque in Fulgentii dicendi genus congruentius impetus dici Gallogeticos quam Vandalicos contendit. Sed num, quaeso, credibile est adeo circumscriptiones in deliciis habuisse scriptorem, ut ipsos cives suos Gallogetas appellaret? Praeterea Fulgentium Zinkius putat iccirco obscuriore illo nomine usum esse, ne offenderet Vandalos. Ita autem num fugere potuit Vandalos, in quorum finibus ipsi illi impetus fiebant, quasnam res significaret, praesertim cum de tempore, si non praesenti, tamen vix peracto ageret? Verum illa explicatio quominus fidem inveniat, etiam aliae caussae obstant gravissimae. Nam ut Zinkio demus 'Gallogetarum' nomine Vandalos appellari potuisse, quamquam quid hi cum Gallis et Gotis commune habeant, me non intellegere fateor, at remanent illi 'impetus', de quibus nihil traditum est: ad privatas enim res Fulgentii hanc notionem referri posse quis est qui Zinkio credat? Accedit quod ne dominus quidem rex reperitur illo quo Zinkius vult tempore, qui commode cum solis crepusculo comparari possit propter hostium incursus feliciter repulsos; Hunericum enim regem contra Mauros, qui in Vandalorum fines irrumperere solebant, male rem gessisse prorsus constat¹⁾. His de caussis vereor ne sibi soli Zinkius persuaserit potuisse Gallogetarum nomine Vandalos significari²⁾.

At fuit tempus, quo in Africa impetus fiebant per milites, qui haud inepte Gallogetae dici poterant, de quo iam breviter exponam.

1) Cf. Papencordtii historiam Vandal. regni p. 111: 'der enderfolg war jedoch, dass die Mauren auf dem berge Aurasius in Numidien sich unabhängig machten und wegen der festigkeit und unzugänglichen lage ihrer neuen wohnsitze auch fernerhin von den Vandalen nicht unterworfen wurden.'

2) Videtur idem sensisse Comparettius, qui, alioqui Zinkianae dissertationi debitam laudem non detrahens, de ea in qua versamur parte sic iudicat: 'Les conjectures au moyen desquelles M. Zink cherche à établir par un chemin nouveau l'âge de Fulgence quoique fort ingénieuses et habilement construites, laissent beaucoup de doutes chez le lecteur' (Revue critique a. 1869 n. 35 p. 135).

Theodericus enim magnus rex Gotorum Amalafriadam sororem teste Iornande (de rebus Geticis cap. 58: 'Amalafredam germanam suam, matrem Theodoti, qui postea rex fuit, Africae regi Vandalorumque coniugem dirigit Thrasamundo') in matrimonium dedit Thrasamundo Vandalorum regi, simulque magnum nobilium Gotorum numerum, qui leviri imperium firmarent, in Africam misit¹⁾; hos autem equites potuisse a Fulgentio Gallogetas appellari, non est quod pluribus explicem²⁾. Neque longius repetendi videntur impetus illi. Proditur enim memoriae Thrasamundo mortuo ab Amalafrida Gotis adiuvantibus seditionem factam esse; conicere igitur licet duas fuisse illo tempore Carthagine partes, alteram Vandalorum, alteram Gotorum, quae post regis mortem rem publicam turbaverint: atque huc urbana tempestas a Fulgentio commemorata et impetus illi, quos ut effugeret in villam se recepit, certo referendi sunt. Bellici autem incursus non est dubium quin Maurorum fuerint, quibus cum fere semper Vandalis bellum erat. Atque ipso illo tempore, ad quod mea quidem opinione Fulgentii verba spectant, Vandalos Maurorum impetibus vexatos esse affirmat Procopius de bello Vandal. I, 8 p. 198 ed. Dind., ubi narrat sub vitae finem Thrasamundi Mauros Vandalis ingentem cladem intulisse. Nec mortuo rege in Vandalorum fines illos irrumpere destitisse Fulgentius Ferrandus testis est, qui Fulgentii episcopi Ruspensis vitam conscripsit³⁾. Quae cum ita essent, mirum non est quod ad Mauros confugit Amalafrida, quibus facile persuasit ut una cum Gotis bellum

1) Non satis constat de equitum illorum numero, sed haud ita parvum fuisse testantur Procopius atque Theophanes: ille de bello Vandal. I, 8 p. 346: ὁ δὲ (i. e. Theodericus) οἱ (Thrasamundo) τὴν ἀδελφὴν ἐπέμψε καὶ Γότθων δοκίμων χιλίους ἐν δορυφόρων λόχῳ, οἷς δὴ ὁμιλος θεραπείας εἶπετο εἰς πέντε μάλιστα χιλιάδας ἀνδρῶν μαχίμων; — Theophanes autem chronogr. p. 288: ὁ δὲ τὴν ἀδελφὴν δέδωκεν αὐτῷ εἰς γυναῖκα καὶ Γότθων δοκίμων δις χιλίους ἐν τάξει δορυφόρων σὺν ἄλλαις πέντε χιλιάσιν ἀνδρῶν μαχίμων πρὸς ὑπουργίαν τούτων.

2) Ne in orbem circumagi in concludendo videar, si appellatione, quae Salmasii demum coniecturae debetur, nisus tempus definire studeam, moneo me priori vocis parti (*Gallo*) haud ita multum tribuere; rei cardo in eo vertitur, ut *Gotos* aliquando in Africa fuisse demonstretur.

3) Sic enim scribit: 'Quando non post plurimos dies accersitionis eius (i. e. episcopi, qui Thrasamundo regnante exul, statim ubi primum Hildericus rerum potitur, restitutus est) inimica gens Maurorum Ruspense territorium repente vexavit, rapinis, caedibus, incendiis devastans' (v. Acta Sanct. Ianuarii tom. I p. 972 sq.).

Vandalis inferrent. Haec autem res parum prospere eis cessit; pugna enim ad Capsam urbem commissa a novo Vandalorum rege Hilderico, qui Thrasamundo in regno successerat, superati Gotique ad unum omnes trucidati sunt¹⁾. Vides igitur ab hac parte suo iure Fulgentium cum solis crepusculo comparare novum regem, quippe qui Maurorum perniciosis incursibus finem imposuerit. Sed altera praeterea caussa fuit, cur novus rex tam honorifico nomine Fulgentio necessario dignus videretur; exstitit enim ille fidei catholicae sospitator eo, quod episcopos a Thrasamundo in exilium coniectos restituit. Quae omnia si recte disputavimus (ac nisi prorsus fallimur, argumenta a nobis allata satis ad persuadendum apposita sunt), Mythologiarum librorum praefatio composita est anno 523 vel 524²⁾. Hinc profecti non necessitate quidem demonstrandi, at ratiocinandi probabilitate utimur cum Fulgentium circa annum octogesimum saeculi quinti natum esse conicimus; nam et totus scriptorum eius tenor (imprimis Mythologiarum librorum) aetate iam proveciore scriptorem prodit, et ipsa verba, quibus carmina olim a se composita tangit, hoc testantur³⁾.

Quae praeterea de Fulgentii vita et moribus ex ipsius scriptis erui possunt, adeo explanavit Zinkius, ut huius rei uberius explicandae opera commode supersedere possimus. Eis tamen, quae de scriptis Fulgentii disputavit, nonnulla habeo quae addam. Et primum quidem quo ordine libros suos conscripserit, fere dubium esse nequit. Nam carmina illa supra a nobis commemorata certo primum locum obtinent. Tum vero post longum temporis intervallum (reliquos enim libros omnes ad unum fere idemque tempus spectare praefationes docent) eum 'physiologum librum'

1) Cf. Procop. de bello Vand. I, 8 p. 349: τήν τε γάρ Ἀμαλαφρίδαν ἐν φυλακῇ ἔσχον καὶ τοὺς Γότθους διέφθειραν ἅπαντας, ἐπενεγκόντες αὐτοῖς νεωτερίζειν ἕς τε Βανδύλους καὶ Ἰλδέρικον. τίς μὲντοι οὐδεμία πρὸς Θεουδερύχου ἐγένετο, ἐπεὶ ἀδύνατος ἐνόμιζεν εἶναι στόλῳ μεγάλῳ ἐς Λιβύην στρατεῦσαι.

2) Aliam igitur atque Reifferscheidus viam ingressi ad eundem annum, quo ille librum compositum esse vult, pervenimus, fierique sane potest ut inter Fulgentium episcopum et Planciadem affinitas ista intercedat, quam ille suspicatus est.

3) Zinkius quoque p. 18 hoc agnoscit his verbis: 'und zwar scheint er damals (h. e. cum Mytholog. libros scripsit) schon in gereifteren Jahren gestanden zu haben, indem er von seinen jugendgedichten und liebeshändeleien als von einem überwundenen standpunkte redet.'

aliquem conscripsisse veri simile est: mentionem enim eius facit in Virg. Cont. p. 149 verbis hisce: 'saturanter haec, inquam, in libro physiologo, quem nuper edidimus de medicinalibus causis et de septenario ac de novenario numero, omnem arithmeticae artis digressimus rationem'. Mythologiarum autem libros statim exceptos esse a Virgil. Continentia inde apparet, quod in hoc libro de Tricerbero uberius agere recusat, causam hanc afferens, quod eam fabulam iam superius (i. e. in Myth. libris) exposuerit. Vnde hic ordo evadit: Physiologus liber, Mythologiarum libri, Virgiliana continentia. Deinceps Expositionem serm. ant. edidit: nam sub voce 'choragium' haec scribit: 'sicut Apuleius in metamorphoseon ait: choragio itaque perfecto omnes domuitionem parant'; haec autem verba non ex Apuleio sumpta esse, sed ad ipsius Fulgentii locum, qui est in Myth. libri III fabula 6, pertinere Lerschius p. 60 recte vidit. Liber autem de aetate mundi utrum ante librum physiologum an post Virgilianam continentiam compositus sit, in incerto est, veri tamen simillimum ante Expositionem serm. ant. editum esse, id quod inde coniecero, quod fabulam de Metennia (vide supra p. 4 adn. disputata), quam in libro de aetate mundi exponit, in hoc libro obiter tantum tangit. — In transcurso commemoro Kellerum in Symb. phil. Bonn. p. 501 sq. Pseudoacronis scholia Horatiana saeculi V iniuria Fulgentio tribuere, id quod propediem alio loco accuratius demonstrabo.

Nunc vero paucis erit explicandum, quo iure supra librum, quo de Vergilii carminibus agitur, 'Virgilianam continentiam', illum autem, quo obscurorum vocabulorum explicationes continentur, 'Expositionem sermonum antiquorum' appellaverimus, cum de utriusque libri inscriptione parum inter viros doctos conveniat: qua oblata occasione simul, quibus amicis scriptor libros suos dedicaverit, commode disceptabitur.

Et priorem quidem librum inscribendum esse 'Physica ratio super Virgilium' Lerschius contendit p. 15 utens codicis Bruxellensis auctoritate, quam et ipsius Fulgentii verbis: 'secreta physica Virgilianae continentiae tetigi' et Sigeberti Gemblacensis testimonio¹⁾: 'ne videar humana miscere divinis, non commemorabo sacris libris mirabile huius viri opus, qui totum opus Virgilii ad physicam rationem referens' e. q. s., confirmari opi-

1) de scriptoribus eccles. cap. 28.

natur¹⁾. At ille cum omnino non curaret rationem quae inter singulos libros manu scriptos intercedit, fugit eum Bruxellensis codicis fidem fere nullam esse, quippe qui, ut infra demonstrabitur, deterioribus libris adnumerandus sit; tum vero neque ex Fulgentii neque ex Sigeberti verbis certi quicquam colligi potest, quia uterque locus ita comparatus est ut, utrum plena libri inscriptio dedita opera necne afferatur, diiudicari nequeat²⁾. Libri autem, qui mihi innotuerunt, has exhibent inscriptiones:

Reginensis 208: Expositio Virgiliane continentiae moralis scdm phils³⁾ (i. e. moralis secundum philosophos).

Palatinus 1579: 'Expositio Virgiliane filosofos moralis.'

Palatinus 1578: 'Expositio Virgiliane continentiae secundum filosofos moralis.'

Reginensis 1462: 'Expositio Virgilianae continentiae secundum filosofos moralis.'

Gothanus 55: (apud Iacobsum et Ukertum I p. 230): 'de continentia Virgiliana.'

Gothanus 56 (ibidem p. 231): 'Fabii Planttae de Fulgentio Expositio philosophica Aeneidos Virgilianae.' Idem titulus exstat in cod. Gothano 152 (p. 277), sed additus a manu recentiore.

Vaticanus, quem Lerschius p. 15 commemorat: 'Moralis expositio Virgilianae continentiae.'

Videtur igitur, optimos et antiquissimos codices si sequimur, liber inscriptus fuisse: 'Expositio Virgilianae continentiae⁴⁾ secundum filosofos moralis'⁵⁾. At Zinkius p. 3 adn. 2 duas libri recensiones ipsum Fulgentium fraudulenter titulis mutatis parasse suspicatur, nec mediocriter eam coniecturam illud videtur adiuuare, quod etiam ad diversos homines singulae inscriptiones spectant; in editionibus enim cum liber inscribatur 'ad Chalcidicum grammaticum', codex Gothanus praebet 'ad Catum archidiaconum Carthaginensem'. Hac autem in causa quantopere

1) Poterat eodem iure illud Mythographi Vat. III fab. 5 p. 171 pro genuino titulo habere: 'ut in Fulgentio super Aeneide legitur.'

2) Atque vel propterea non multum hac in re valet Sigeberti testimonium, quod libri exstant manu scripti qui eum aetate superent.

3) Codd. Gudiani 331 et 333 inscriptione carent.

4) De voce 'continentia' pro eo quod continetur adhibita cf. Munckeri adnot. p. 137 et Lerschium p. 15.

5) In commemorando libro pergimus compendio usitato hoc uti: 'Virg. Cont.'

nodum in scirpo quaesiverit Zinkius, facili opera demonstrari potest; prorsus enim, si quid video, dubium esse nequit quin Cato presbytero, cuius iussu etiam Mythologiarum libros conscripsit Fulgentius, libellus iste dicatus sit. Nam primum quidem nullus ex octo qui mihi innotuerunt codicibus illa praebet 'ad Chalcidium grammaticum', sed omnes, uno excepto Gothano, inscriptione carent, ita ut statim Mythol. libros hic excipiat: ut vel hinc conicias ad unum eundemque hominem utrumque librum missum esse. Quo adde, quod in Cont. Virg., ubi de Tricerbero agit, hanc se fabulam dicit iam superius exposuisse. Num vero credibile est haec illum scribere Chalcidio, dum Cato eum librum, quem 'superius' vocabulo significat (h. e. 'Mytholog. libros ad Catum presbyterum'), transmittit? Accedit gravissimum argumentum, quod ipsum libri initium, ne grammatico donatus credatur, suadet; quomodo enim ad grammaticum haec, quibus alloquitur amicum, pertineant: 'Levitarum sanctissime'? Ceterum alicuius fortasse momenti etiam Gothani codicis testimonium est, quamvis eum inter deteriores libros esse persuasum habeam: quando interdum factum esse constat, ut per rivulos quosdam occultos aliquid boni ex archetypo etiam in proletarios libros permaneret. Haec autem si probabiliter disputavimus, ansam praebebunt, qua usi de altero libro (Expos. serm.) recte statuamus.

Ac primo quidem obtutu, cum non solum duae librorum mscr. familiae eaeque sat inter se discrepantes exstent, sed etiam duplex libri inscriptio tradita sit, facile Lerschio assentiare Fulgentium suspicanti alterum libri sui exemplum Chalcidio, alterum paucis factis mutationibus Cato destinasse. Sic enim ille p. 90: 'Jene verschiedenheiten . . . leiten mich auf die vermuthung . . . dass Fulgentius dasselbe werk in etwas veränderter gestalt einmal dem Chalcidius, ein andermal seinem freunde Catus übersandte. . . . Wenn diese vermuthung die prüfung der kritik aushalten sollte, so hat der betrüger Fulgentius nicht allein die leser, sondern auch seine guten freunde auf eine schmäbliche weise hintergangen.' Zinkio autem omnia, quae Lerschius de quaestione illa disputavit, adeo placuerunt, ut iterum eam in rem accurate inquirere operae pretium non esse opinaretur¹⁾. Videamus igitur, possitne a tam gravi opprobrio scriptor necne defendi. Adeuntibus igitur nobis

1) Zinkius cum p. 28 scribit: 'In allem übrigen verweisen wir auf die monographie von Lersch, nach dessen eingehenden untersu-

libros manu scriptos haec se offerunt quas infra posui inscriptiones. Praebent enim

Bruxellensis 10083: 'Incipiunt Glo//sae ad Catum Prbm.'

Bruxellensis 9172: 'Fulgentii ep̄i ad calcidium grammaticum de abstrusis et inusitatis nominibus'¹).

Florentinus (in Lamii catalogo cod. mscr. bibliothecae Riccardianae ed. Liburni 1756 p. 206): 'Interpretationes quorundam verborum abstrusorum'.

Vindobonensis 804 (CDXV apud Endlicherum.): 'Expositiones diversorum vocabulorum'.

Gudianus 335: 'Incipiunt glosse Fulgentii Pl' ad Calcidium prespiterum'.

Middlehillensis 677 apud Haenelium Catal. libr. mss. p. 159: 'Fulgentii presbyteri lib. de abstrusis sermonibus.'

Reginensis 1462: 'Inc̄pt Exp. Sermonum antiquorum ad grammaticum Calcidium'; in fine autem: 'Expositio sermonum antiquorum ad Calcidium grammaticum finit feliciter'.

Urbinas 670: 'Fulgenti mythologiarum et expositio sermonum antiquorum'; in fine: 'Expositio sermonum antiquorum ad Calcidium grammaticum finit feliciter'²).

Urbinas 452: 'F. Placiades Fulgentius in expositione sermonum antiquorum ad grammaticum Calciadium.'

Duacensis apud Haenelium catalog. p. 159: 'Fabii Placiadis gramm. expos. sermonum antiquorum.'

Vindobonensis 188 (CCCXCH Endl.): 'Incipit expositio sermonum antiquorum Fulgentii Ep̄i ad Calcidium grammaticum'.

chungen es kaum möglich sein dürfte, etwas wesentlich neues darüber (i. e. de Expos. serm.) beizubringen', Reinholdi Klotzii commentationem, quae est in Iahnii ipsiusque annalium vol. XLIII p. 71—96, ignorasse videtur: ibi enim argumentis prorsus aptis ad persuadendum demonstratur in multis haud medioeriter errasse Lerschium: velut prorsus mira sibi finxit exponens, quomodo Fulgentio in mentem venire potuerit, ut ea ipsa tantum, quae libello continentur, vocabula interpretanda susciperet. Cf. praeterea L. Rothium in annal. Heidelbergens. anni 1845 m. Iul. et Aug., Lerschium Mus. Rhen. n. vol. V p. 309 sq. et IV p. 155 sq.

1) Hanc genuinam libri inscriptionem fuisse contendit I. Beckerus in Mus. Rhen. n. vol. V p. 33.

2) Librarius quidem episcopo Fulgentio librum tribuit, subscripsit enim: 'Iste Fulgentius primo quidem vir clarissimus philosophiae disciplinae affatim deditus, cunctis sapientibus amabilis et carus, postea vero tempore Anastasi imperatoris episcopus carthaginiensis est ordinatus.'

Leidensis 135: 'Incipit expositio sermonum antiquorum a Fulgentio episcopo composita ad grammaticum Calcidium'.

Gudianus 23: 'Expositio sermonum antiquorum'.

'Bas. abbatiae S. Petri' (in 'Labbei Bibl. nova mss. I p. 668' teste Gerlachio Nonii p. 387. 388): 'Expositiones sermonum antiquorum'.

Vossianus 96: 'Expositio sermonum antiquorum Fulgentii episcopi ad Calcidium grammaticum', deinde: 'Glosae Fulgentii episcopi ad Calchidium presbiterum'.

Mediceus (apud Gerlachium): 'Flavii Planciadis Fulgentii V. C. expositio antiquorum sermonum ad Graticium Calciadium'.

Apparet ex his, cum maiore codicum numero librum inscribendum esse 'Expositio sermonum antiquorum.' Neque difficultatem creant, quas primo loco posuimus, librorum discrepantiae; quotiens enim exemplaria, quibus utebantur librarii, inscriptionibus carebant, de suo eiusmodi titulos apponebant, velut 'expositio diversorum vocabulorum', 'interpretationes,' 'glossae' et quae sunt similia. Quodsi, cuinam homini libellus ille dicatus fuerit, quaerimus, etiamsi plurimorum librorum fide Chalchidio grammatico tribuendus videatur¹⁾, tamen gravissimae nos causae movent ut aliter de hac re statuamus: quando in talibus sana ratio plus valeat necesse est quam librorum auctoritas. Vel per se autem, traditarum in libris inscriptionum ratione non habita, grammaticum aliquem abstrusorum sermonum explicationem expetere veri videtur dissimillimum, id quod iam Klotzius his verbis monuit: 'ein grammatiker wie Chalchidius²⁾ fragte schwerlich über jene wörter an.' Accedit alterum, quod grammaticum aliquem tam rudem fuisse, ut graece prorsus nesciret, credi vix potest; Fulgentius enim infra scribit: 'ne quid graecum te turbet exemplum, ego pro hoc tibi latinum feram.' Iam dixerit quispiam fortasse ad Chalchidium quendam presbyterum, quem nonnulli libri volunt, pertinere inscriptionem: perfacile enim fieri potuisse, ut librarii in Chalchidii presbyteri locum Chalchidium grammaticum ut sibi notiozem substituerent. Sed ne hoc quidem videtur probandum

1) Cf. A. Riesium in Mus. Rhenani vol. XIX p. 300 sq.

2) De Chalchidio illo, quem Platonis Timaei interpretem existisse notum est, hoc loco cogitari non posse apertum est: ille enim Constantino imperante vixit. Eiusdem autem nominis grammaticus utrum Fulgentii aetate necne fuerit, prorsus latet.

esse; exstat enim testimonium quod, si non magni, tamen aliquis momenti est¹⁾, Sigeberti Gemblacensis de script. eccles. cap. 28, qui Bruxellensis codicis memoriam confirmans libellum prodit inscriptum fuisse 'ad Catum presbyterum.' Verum etiamsi hoc testimonium non exstaret, sola interna quae dicitur probabilitate Cati nomen libro praepositum nobis commendaretur. Vidimus enim et Mytholog. libros et Virg. continentiam Cati iussu conscripta esse: nam in illorum praefatione haec posita sunt: 'quia mihi nuper imperasse dignosceris, ut' e. q. s.; in Virg. Cont. autem: 'in amoris praecepto contemptus non admittitur.' Cum autem in huius libelli prooemio de serie quadam praeceptorum amici dicatur verbis hisce: 'ne de tuorum praeceptorum serie, domine, nostra quicquam curtasse inobedientia putaretur, libellum etiam, quem de abstrusis sermonibus interpretari iussisti, absolutum retribui'²⁾, ad 'libellum' vocem autem 'etiam' particula apposita sit, qua plane docemur iam plures ad eundem amicum libros scriptorem misisse, ad quemnam potius putabis libelli inscriptionem pertinere quam ad Catum? Is autem sine dubio de abstrusis vocabulis, in quibus inter legendum haesit, amicum consuluit, id quod verba 'libellum, quem interpretari iussisti, absolutum retribui' aperte docent; nec minus verba 'quid sit', quibus singula vocabula inducuntur, indicio sunt quaesivisse amicum de eis vocibus. Quae cum ita essent, Fulgentio omnino in mentem venire non potuit alii amico hoc responsum reddere. Nec, si illo quem posuimus modo librum natum esse constiterit, multis artificiis adhibitis cum Lerschio, qui hac in re operam prorsus perdidit, in eo erit elaborandum, cur haec potissimum verba interpretanda scriptor susceperit. In duplici autem libri recensione nihil inest quod suspicionem moveat; ipsa enim libri natura ferebat, ut suo quisque usui eum accommodaret³⁾. Apparet igitur Lerschium nimium vidisse omnesque eius de Fulgentii dolo coniecturas corrūere.

1) Non multum huic scriptori propterea tribuo, quod saeculi noni et decimi libri etiam nunc exstant Chalcidii nomen exhibentes: quamvis veri simile sit eis vetustiores libros illum ante oculos habuisse.

2) Sic exhibentur verba in optimis libris: deteriores enim Lerschius secutus est.

3) Cf. Lerschium in Mus. Rhen. n. vol. V p. 313 sq. ('Eine Bonner epitome des Fulg. de abstr. serm.')

Non autem hinc alienum videtur adnotatiunculam subicere de libro quodam manu scripto, quem Lerschius in libelli sui fine tetigit. In I. Ph. Tomasini enim catalogo bibliothecae Patavinae manuscr. publ. et priv. (Utini edito a. 1639) p. 91 commemoratur hic bibliothecae Zabarellae liber: 'Fulgentius super Bucolic. et Georg. Virgilii cum notis scriptus à Joan. de Yppolitis Brixiensi An. 1359. Die 15 Iulii.' Huius igitur libri mentione facta sic quaerit Lerschius: 'Ist dieser commentar über Bucolica und Georgica vielleicht die Continentia Virgiliana? oder findet sich jene handschrift eines besondern werkes noch auf jener und andern bibliotheken vor?' Respondit nuper Comparettius (Revue critique d'histoire et de littérature a. 1869 n. 35), cuius verba subieci: 'L'existence d'un commentaire de Fulgence sur les Bucoliques et les Géorgiques m'a paru un fait bien singulier, d'autant plus que Fulgence lui-même, dans son *De continentia*, dit explicitement qu'il ne l'a pas fait: *bucolicam georgicamque omisimus, in quibus tam mysticae sunt interstinctae rationes* etc. etc. Aussi j'ai eu la curiosité de voir ce manuscrit et je l'ai retrouvé tel que Tomasini le décrit, dans la bibliothèque publique de Padoue. C'est bien un commentaire sur les Bucoliques et les Géorgiques, mais sans le moindre doute il n'est pas de Fulgence. Quoique un lui ait appliqué le nom de cet écrivain, la langue, le style, les idées, la méthode ne sont pas de lui, et du reste on voit du premier abord, par les autorités qu'il cite, que l'auteur de ce commentaire est bien plus récent. Ainsi M. Zink n'a rien omis de bien essentiel en passant ce manuscrit sous silence.'

Caput II.

De artis criticae praesidiis.

De fide Fulgentii quod nondum satis constat, eo minus mirandum est, quia post Munckeri curas in Fulgentii scriptis ad optimorum codicum auctoritatem emendandis versatus est nemo¹⁾

1) Excipio 'Expositionem serm. ant.', quippe cuius libri editiones paraverint Gerlachius (una cum Nonio Marcello ab ipso et Rothio edito)

praeter Fr. Jacobsium¹⁾, qui quidem graecorum scriptorum testimoniis a Fulgentio allatis medicinam adhibiturus iniquo fato eo codice usus est, quo corruptiorem non exstare infra demonstrabimus. Quare ut certum fundamentum esset, quo ad artem criticam factitandam niti possemus, cum ipse codicibus conferendis operam dedi, tum dici fere nequit quanta liberalitate Conradus Bursianus mihi librorum ab ipso et amicis collatorum usum concesserit. Praeterea etiam consilio vir doctrinam humanitate aequans adeo mihi adfuit, ut facere non possim quin ei hic gratias agam meritas debitasque.

Iam qui mihi praesto fuerint Mythologiarum librorum et Virgilianae continentiae libri manu scripti, enumerandum et, quae inter singulos codices ratio intercedat, examinandum erit: qua in re eum ordinem tenebo, ut vetustiores deinceps sequantur recentiores libri.

1) Vaticano-Palatinus 1578, saeculi VIII, membranaceus. Ibi fol. 36 p. 1 haec leguntur: IN NOMINE DÑI IHV XPI IN HOC CODICE HAEC INSUNT FABVLAE NVMERO . L . SECVNÐV PHILOSOPHIAM EXPOSITAE A FVLGENTIO PRBO²⁾ VC AD CATVM PSBITERVM CHARTHAGINIS. Sequitur post vacuum spatium f. 2: FABII PLANCIDIADIS (sic) FVLGENTI VRCL MITOLOGIORV LIBER TERTII CAPITVLA EXPLICIVNT INCIP' LIB PRIM. In libri secundi fine haec scripta sunt: *Fabii Planciadis Fulgenti uiri clarissimi mitologiarum liber secundus explicit. incipit liber tertius*, in fine autem totius libelli: *Fabii Planciadis Fulgenti VC. Mitologiarum Lib tertius exp. incp. expositio sermonum antiquorum ad gramaticum Calcidium*. In fine 'expositionis' haec exstant: *Fabii Planciadis Fulgenti VC expositio sermonum antiquorum cu testimoniis explicit feliciter*. Sequitur Virgiliana continentia, quae sic inscribitur: *Incipit expositio Virgilianae continentiae secundu philosophos moralis*. In Mythologiarum libris aliquot folia interciderunt, ita ut magna lacuna exstet inde a

et Lerschius, quamvis me iudice multi huius libri loci etiamnunc correctorem exspectent.

1) In libri qui inscribitur 'Beiträge zur älteren Litteratur oder Merkwürdigkeiten der Bibl. zu Gotha' (ed. Lipsiae a. 1836), vol. II p. 416 sq.

2) Litteris PRBO (i. e. *presbytero*) ea notio, quae ad Catum spectat, librarii errore videtur etiam ad Fulgentium relata esse; nam in reliquis omnibus V. C. i. e. *uir clarissimus* appellatur.

verbo *feruescat* (p. 36 Munckerianae editionis) usque ad *magnitudo* (p. 73) pertinens.

II) Codex Montepessulanus 334, saeculi X. Eius inscriptio haec est: *Fabii Placidiadis Fulgentii uiri clarissimi Mythologiarum incipit liber primus*. Liber mutilus est, desunt enim verba inde a pagina 131 fere media usque ad finem libelli. Verba ultima in folii fine sunt: *apud astrologos aliud est astrorum ac siderum cursus affectusque*. Libro primo nomen recte subscriptum est: *Fabii Planciadis Fulgentii uiri clarissimi Mitologiarum lib̄ primus explicit, incip̄ liber secundus*.

III) Codex Bernensis 427, saeculi X. Ipsius libri verbis praemissa haec sunt: *In hoc codice hae sunt fabulae Fulgentii V. C. ad Catū Prbū Carimnis* (pro Carthaginis). Tum omissa tota praefatione statim ipsae fabulae secuntur. Sub finem primi libri haec habes: *Fabii Placidiadis Fulgentii e. q. s.; item alteri et tertio libro subscribitur Placidiadis*.

IV) Codex Reginensis 1462, saeculi XI, fere quadratus. Folii alterius haec inscriptio est: *Fulgentii de fabulis gentilium moraliter expositis. In nomine dñi ihū x̄ri. In hoc codice haec (hinc man. 2) insunt fabule numero .L. secundum philosophiam expositae a Fulgentio V̄C. ad Catum Presbiterum cartaginis. D̄S fare legeti*. Secuntur fabularum quae libro continentur tituli, quos haec verba excipiunt: *Fabii Planciadis Fulgenti VR̄CL mitologiarū Lib III cap̄ expt. Inc̄p̄ lib̄ primus¹⁾*. Ceterum in hoc libro eodem ordine quo in primo codice Mythologiarum libri, Expositio serm., Virgil. Continentia insunt, atque adeo prorsus eadem verba singulis libris et inscribuntur et subscribuntur, ut non opus sit hic ea iterare.

V) Codex Guelferbytanus I = Gudianus 331 (apud Ebertum n. 357), saeculi XI²⁾, membranaceus. Liber quadratus est foliorum 68 versuum 20; continet Mythologiarum libros et Virgil. Cont. Postrema sex folia aenigmata inedita praebent, quae

1) Ex his luculenter apparet, quid Palatini codicis verba: *liber* (pro *libri*) *tertiū capitula expliciunt incip. liber primus* sibi velint; in illo enim libro quo referantur, propterea non habent, quod fabularum titulos, quibus perscribendis vacuum tantum spatium reservavit, transcribere librarius omisit.

2) Ebertus eum duodecimo, Bodius in notis crit. ad Mythogr. Vatic. p. 3 decimo saeculo tribuit; equidem, postquam in bibliotheca Guelferbyтана alios multos comparavi, saeculi XI esse persuasum habeo.

data occasione publici iuris faciam. Praeterea inest *Disputatio regalis nobilissimi iuuenis Pipini cum Albino scholastico*. Liber a Francogallis raptus (id quod bibliothecae imperialis signum primae paginae impressum testatur) pace composita in Guelferbytanam bibliothecam restitutus est. In libri principio haec exstant: *Fabii Planciadis Mythologiarum liber incipit p. Mythol.* librum III statim subsequitur inscriptione omissa Virg. Cont., manu recentiore additis: *Virgilius allegorizatus*.

VI) Codex Reginensis 204, saeculi XI (?), membranaceus 8^o. Insunt in eo nonnulla e Boethii scriptis, Servii centimetrum, Avieni fabulae, deinceps Fulgentii Myth. liber tertius inde a fabula V usque ad finem, ubi haec scripta sunt: *Fabii Planciadis Fulgentii ur̄ cl̄ mitologiarū liber tercius explicit feliciter*. Sequitur Virgiliana continentia. In fronte libri legitur nomen *Petri Danielis*.

VII) Codex Parisinus 7975, saeculi XI. Mutilo hoc libro Fulgentii verba a libri demum III fabula quarta continentur. In fine haec sunt: *Fabii Planciadis Fulgentii VC Mitologiarū lib. III expl.*

VIII) Codex Guelferbytanus II = Gudianus 333 (apud Ebertum n. 358), ex museo Bernhardi Rottendorffii, saeculi XII, quadratus membranaceus, foliis constans 44 versuum 36. Inest praeter Myth. libros etiam Virgil. cont.

IX) Codex Gothanus membr. I n. 55, saeculi XIII: de quo vide Iacobsii et Ukerti librum vol. I p. 230. Ibi Mythologiarum libri implent folia 24. Inter versus multum spatii relictum est ad glossas recipiendas. Post prooemium, quod continetur quattuor foliis et dimidio, haec secuntur: *Explicit prologus sequentis libri*. — *In hoc codice insunt fabulae numero quinquaginta philosophice expositae a fulgencio u. c. ad catim presbiterum cartaginis*; in fine haec sunt: *Expliciunt fabulae fulgentii*. Sequitur: *Gaii*¹⁾ *Fabii Planciadis Fulgentii liber de continentia Virgiliana*²⁾ *ad Catum Archidiaconum Carthaginensem*: qui libellus folia tria cum dimidio occupat.

1) Huic inscriptioni innisus Zinkius p. 1 § 1 Fulgencio *Gaius* praenomen tribuit; sed cum huius codicis auctoritas fere nulla sit et tota libri inscriptio ad arbitrium facta, parum illi ratiocinationi tribuendum videtur.

2) Exstat huius libri collatio ab Oehlero parata in Iahnii annalium supplem. vol. XV p. 95 sq.

X) Codex Parisinus 6503, miscellaneus, 'Iac. Puteani CL. fil.' Insunt primum fragmentum glossarum graecolatinarum saeculi VIII; tum *Flavi Vegeti Renati*¹⁾ *viri illustri libri IIII* (liber I et alterius capita VII desunt), quibus in fine subscriptum est: *Fl. Eutropius emendavi sine exemplario constantinopolim consul. Valentiniano Aug VII et Abieni*; deinde fragmentum cum hac subscriptione: *Explicit liber II ad victorem de natura et origine anime. Incipit liber fabii Planciadis fulgenti viri clarissimi mitologiarum de natura anime*. Ab initio haec habes: *Cum multe sint et uarie in quaestione propositiones et undequocunque caplin differentes habeat interrogationum occasiones, necessarium est, per singula separantes similiter quaestionibus apte adunare solutiones*. Tum agitur *de natura sompni, calidi, frigidi, uentorum* al. Haec excipiunt Fulgentii Mythol. libri, qui in margine sic inscribuntur: *Fabius de natura anime liber II*. — Graecorum scriptorum testimonia librarius omisit, sed ea abesse plerumque indicatur hac nota *gr.*; omissa est etiam libri primi praefatio. Praeterea lacuna exstat inde a pagina 113 usque ad 127 commissis inter se his verbis: *Iuniorum uero — de scribit multa de hiis faciat tamen aliqua non implet*²⁾. In fine haec addidit manus saeculi XIII: *Fabii planciadis fulgentii viri clarissimi mitologiarum liber tertius explicit*. Sequitur *epistola Alexandri ad Aristotelem magistrum suum de situ Indiae et itinerum uastitate et historia Daretis Frigii de excidio Troianorum* (saec. XI), postremo *martirologia* (saec. eiusdem).

XI) Codex Parisinus 8500, saeculi XIV, membranaceus, pulcherrimis picturis ornatus. Continet tres Mythol. libros, praemissa vita Fulgentii, quae sic inscribitur: *De vita et gestis Fabii Fulgentii Planciadis uiri clarissimi*. In eis autem quae secuntur non de Planciade, sed de vita episcopi Ruspensis agitur, et primum quidem *de origine et professione sua*, tum *de austeritate et uita eius*, deinde *de reuocatione ab exilio*, denique *de transitu eius*. Sub finem haec leguntur: *Claruit tempore Zenonis*³⁾ *ysaurici imperatoris, qui coepit imperare anno domini CCCCLXXIII*.

1) Vide Vegetii editorem Langium praefat. p. XXIX.


2) *de* illud ante *scribit* positum ultima syllaba est nominis *Marian-des* quod in reliquis libris praecedat.

3) Eodem modo *regem uelut solis crepusculum aduentantem* glossa interlinearis codicis Leidensis Zenonem intellegi uult, Planciade cum episcopo permutato.

Scriptis libros multos quos edidit ad diuersos et sermones nonnullos. Inter alia autem opuscula edidit hoc quod dicitur mythologiarum ad Cathum presbyterum cartaginensem scientia moribusque praeditum in tribus libellis distinctum. Est autem mitologia sermo de fabulis, mithos grece, fabula latine, logos sermo. Explicit uita Fabii Fulgentii Planciadis uiri clarissimi.

XII) Codex Vaticanus ordinis N n. 119 = Urbinas 670, membranaceus, saeculi XV, quem accuratius descriptum habes apud Buechelerum praefat. ad Petron. p. XVIII. In folio 66 haec sunt: *Fulgentii episcopi chartaginensis mythologiarum ad Catum Presbiterum Carthaginiensem. Liber primus incipit feliciter*, item in fine: *Fulgentii episcopi Cartaginensis lib. III et ultimus Mitologiarum finit.* Tum fol. 113 p. 2 secuntur haec: *Fulgentii Episcopi Cartaginensis expositio sermonū antiquorum ad Calcidium gramaticum incipit.*

Priusquam his quos recensui libris Virgilianae continentiae codices subiungam, paucis explicabo, quomodo illos in genera et classes distribuendos censeam. Et ut primo statim obtutu in oculos incurrat, quae inter singulos libros ratio intercedat, ecce hoc codicum stemma, in quo *P* notat Palatinum, *R* Reginensem, *M* Montepessulanum:



Omnes qui praesto sunt libros ex uno eodemque archetypo fluxisse uno exemplo manifesto, cum longum sit hic plura afferre, demonstrasse satis habeo. Praebent enim in Myth. libri II fabula 12 omnes libri una et consentiente voce haec: *Scylla enim graece quasi ex quina dicta est, quod nos latine confusio dicimus:*

quibus in verbis graecum, quod in valde corrupto *exquina* latet, vocabulum communem omnibus libris fontem fuisse aperto indicio est.

Quodsi ad singula accedimus, Palatinus et Reginensis codices, qui ceteris longe praestant, singulis fere locis adeo congruunt, ut alter ex altero natus esse videri possit. Vel ex eis, quae in adnotatione paginae 19 supra diximus, luculenter apparet quam arto inter se vinculo illi contineantur. Verum non solum ad inscriptionem, sed etiam ad ipsum contextum utriusque libri consensum pertinere, uno nunc exemplo significasse sufficiat: plenius enim eam affinitatem scripturarum infra afferendarum copia comprobabit. Fabula 5 libri III in Palatino mendose sic inscribitur: FABVLA BEREINTIAEATO ATTIS (in reliquis libris est *Berccintiae et Attis*); prorsus idem exhibet Reginensis; utrumque ni fallor corruptum ex BEREINTIAE ATQ (i. e. *atque*) ATTIS. Neque tamen Reginensem ex ipso Palatino codice transcriptum esse, sed utrumque e tertio aliquo libro manasse, locus ex eadem fabula desumptus testetur, ubi Pal. exhibet *nam et Epicarmus ita ait*¹⁾: ‘*Cintos id est iste fiforo*’ e. q. s., Regin. autem ‘*Cintoides istefiforos*’: apparet enim priora verba corruptiora esse (propter illud *id est* potissimum, quod e graeco vocabulo natum est), quam ex quibus haec qualiacumque sunt verba oriri potuerint. — Utrumque autem codicem cum Montepessulano ad communem originem revocandum esse, ex multis locis, quibus omnes tres mire consentiunt, perspicitur. Velut ex libri III fabula 3, ubi nulla inter se discrepantia pro οἰνοβαρὲς praebent *Hnouares*, cum reliqui libri *inuares* vel aliquid simile exhibeant.

Haud absimilis Montepessulano codex est Guelferbytanus II, qui cum non sit pari cum illo praestantia, unum gravissimum communis originis vestigium prae se fert in libri primi praefatione, ubi in utroque libro eadem dittographia exstat: in fine enim carminis, quod incipit a verbis *Thespiades Hippocrene quas spumanti gurgite*, hoc ipsum initium in utroque codice iteratur. Nec tamen nisi tertio aliquo libro intercedente Guelferbytanum codicem ex eodem fonte derivatum esse multorum locorum turbae faciunt ut facile credamus.

His de quibus iam diximus libris propinquus praeter reli-

1) In editionibus diversissima vulgantur: παγκάρπιος στέφανος e. q. s. de quibus agetur in cap. III.

quos Bernensis codex est, neque, Epicharmi locum libri primi fabulae 14 si respicimus, a Montepessulano codice videtur se iungi posse: exhibet enim uterque pro graecis verbis has fere litteras ΔΝΙΩΜΦΑΟΝΤΙΦΑΡΤΙΝΝΙ, quas nihili esse reliquorum codicum scripturis conlatis infra videbimus. Verum huic consensui propterea nihil tribuendum est, quod eae litterae in Montepessulano non a prima, sed ab altera manu profectae sunt: ut e Bernensi vel simillimo libro demum explendae lacunae caussa esse transcriptas appareat. Praeterea Bernensis alteri classi vel iccirco accensendus est, quod caret libri primi praefatione. Item Parisinus 6503, quamvis ad idem genus atque reliqui de quibus agitur libri pertineat, tamen non est eidem classi adnumerandus, quippe in quo non solum primi libri praefatio, sed etiam graeca testimonia desiderentur.

Parisinus autem 8500, ut est huius generis recentissimus, ita etiam longe corruptissimus exstat. Nihilo tamen setius e meliore fonte, qui classem quam α littera signavimus plerumque redolet, negari nequit per rivulos quosdam obscuriores aliquid boni in eum redundasse: ut interdum in arte critica factitanda hic quoque non sine aliqua utilitate consulatur. De Parisino 7779, quippe cuius tam pauca fragmenta supersint, non ausim confidentius iudicare; videtur tamen omnino ad aliud genus pertinere, cum et nonnullas lacunas sibi proprias habeat aequae ac duas interpolationes (in libri III fabulis 8 et 9), et praeterea nonnullas scripturas, quarum in reliquis libris ne vestigium quidem exstet. Urbinatem autem et Reginensem 208 vix fuerit operae pretium certis argumentis certae classi tribuere velle, quando una tantum utriusque libri fabula collata in manibus est.

Alterum librorum genus, quod tribus codicibus continetur, seiungendum esse a priore tres loci doceant. Primum quidem nulla illi discrepantia in libri III fabula prima praebent *pritos* (Gothanus *protos*) pro *peprigos* (quode capite III dicitur explicatius). Tum vero glossema in libri II fabulam 8 hoc irrepsit: θέρπος enim dicitur aestus¹). Porro eandem exhibent lacunam in libri III fabula 5, ubi verba *cedranctere* (de quibus item cap. III disputabitur) omiserunt.

Ceterum Guelferbytanum et Leidensem codices postquam Gothano multum praestare ipso stemmate significavimus, paucis de

1) in Gothano codice haec verba superscripta sunt.

fide huius ipsius libri dicendum est, ut a quo proficiscendum esse in arte critica exercenda nonnullis viris doctis visum sit immerito: unde factum est ut Iacobsius in graecis locis restituendis non numquam graviter lapsus sit. Atque imprimis hic tetigerim genus corruptelae quoddam singulare, ad quod infra aliquoties revertemur. In Fulgentii enim editionibus quae exstant graeca verba, haud raro prorsus discrepant ab eis quae optimis codicibus produntur. Cuius rei quae caussa sit, codicis Gothani exempla docebunt. Interdum enim factum esse, ut a librariis solito doctioribus graeca verba, quae in eis quibus utebantur libris mscr. omissa essent, effingerentur secundum latinam interpretationem (quam fere semper addit Fulgentius), luce clarius apparebit.

In libri III fabula 7 Gothanus haec prodidit: *unde et Homerus ait*: και φαλα ΝΤΗ και ωφθλμογς ΟΜΟΙΟΣ ΔΙΟΥ ΑΣΙΡ ΑΠΑῚ ΙΔΟΝΟΥΤΟΣ ΗΙΡΟΥ ΖΟΝΗΝ ΚΑΙΣΙΘΟΣ ΠΟΚΕΙΔΟΝΙΑΣ *i. e. caput et oculos ioui fulmina delectanti martis cingulum et pectus neptuni*: ubi in graecis litteris recte Iacobsius p. 427 vidit haec inesse: κεφαλήν και ὄφθαλμούς ὁμοίος Διός ἀτραπαῖς ἡδομένου Ἄρεος Ζώνην και στῆθος Ποσειδῶνος pro genuinis Homeri verbis, quae reliqui libri praebent:

Ὄμματα και κεφαλήν ἕκελος Διὶ τερπικεραύνω,

Ἄρεϊ δὲ Ζώνην, στέρνων δὲ Ποσειδάωνι

(II. β', 478). Vide quomodo inter se congruant *fulmina delectanti* et ἀτραπαῖς ἡδομένου e. q. s. Graeca autem verba Gothani codicis non e glossematis, quibus genuina verba circumscripta fuisse quispiam crediderit, nata esse inde apparet, quod idem verborum ordo in interpretatione latina atque in suppositis verbis exstat, isque contrarius Homeri verbis: in his enim ὄμματα και κεφαλήν, in illis κεφαλήν και ὄφθαλμούς, *caput et oculos*, habemus. Accedit quod aliis locis, ubi praeter consuetudinem graeca verba latinis non sunt reddita, non graecorum genuinorum apparet circumlocutio, sed prorsus disparia verba. Velut in libri III fabula prima ubi cum libris vulgo haec eduntur: *unde et Homerus ait* 'κῦμα κελαινὸν κορθύεται', Gothanus autem praebet: *unde et Homerus ait* 'ΚΥΜΕΝΟΜΕΝΟΥ ΠΩΘΟΥ ΑΝΔΡΕΣ ΑΠΟΛΛΟΥΝΤΕ', id est κυμαινομένου πῶθου ἄνδρες ἀπόλλυνται: quibus Homeri verba circumscribi non potuisse nemo non videt¹⁾.

1) Iacobsius p. 426 'verbis autem' inquit 'a Fulgentio nescio unde

Alterum exemplum habes in libri III fabula 3, ubi Gothanus exhibet: ἄγνος ἀρυτὶ καὶ κυνοματός ἐχων καὶ καρδεῖαν ἐλαφου *i. e. ebriose, oculos canis habens et cor cerui* pro Iiadis libri primi versu 225:

Οἶνοβαρές, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο.

Idem cadit in Hesiodi locum multum vexatum, qui legitur in libri III fabula 1: *sicut Hesiodus in bucolico carmine scribit dicens: 'peprigrosis tu fulue ulactis menes emorum.* haec enim vel similia in omnibus libris sunt praeter unum Gothanum qui praebet: ΠΡΟΤΟCCΙΑΦΟΥ ΛΟΗ ΚΑΛΟΣ ΛΑΚΙΕC tu ΗΑΙΜΑΙΙΟC ΔΡΩΧΟC. Sed de hoc loco aequè ac de Epicharmio lib. III fab. 5, qui eodem modo corruptus est, infra accuratius disseremus.

His statim subnectam pauca exempla, quibus Virgilianam continentiam, quae eodem codice continetur, eadem labe affectam esse demonstratur. Ad pag. 146 Iacobsius p. 428 haec adnotat: 'post initium Iiadis sequitur in editis: *ante iracundiam quam virum ipsum signans.* In membr. autem (i. e. in codice Goth.): *vel sic magis aperte: Ep ANTION ΟΙΛΟCΕ ΑΝΙΡ ΠΑΝΑ ΡΕΑΝ ΑΥΤΟΝ* (ubi priora sic expedienda: ἐναντίον ὅτε χῶσετ' ἀνὴρ ex Iliad. α', 80: κρείσσων γὰρ βασιλεὺς ὅτε χῶσεται ἀνδρὶ χέρηϊ, in reliquis nihil video nisi αὐτόν legi) *ante iracundiam viri quam ipsum virum significans*'. Oehlerus¹⁾ autem e codice haec eruit: ΕΡΑΝΤΙΟΝ ΟΙ ΙΔΟCΕ ΑΝΙΤΙΑΝΔΡΕ ΑΝΑΥΤΟΝ. Haec tamen verba minime ex Iliade sumpta esse miror Iacobsium fugisse. Ne multus sim, mea sententia res ita se habet: corrector codicis archetypi, e quo Gothanus fluxit, in verbis *ante iracundiam uiri quam ipsum uirum significans* versus Homericus Μῆνιν ἄειδε e. q. s. interpretationem inesse ratus, cum utriusque linguae verba non congruere videret, verba graeca, quae ipse effinxit, latinae quam opinabatur interpretationi accommodavit eaque introduxit verbis *vel sic magis aperte*, quae nihil aliud nisi hoc

petitis editores pro arbitrio substituerunt alia . . . ex Il. ι', 6, quae ab h. l. alienissima: qua in re fallitur vir doctus. Nec enim pro arbitrio, sed ex optimorum codicum auctoritate editores verba illa posuerunt, quae quidem minime sunt aliena ab hoc loco; quodlibet enim testimonium secundum Fulgentii demonstrandi rationem hic locum habere potest, dummodo in eo insit vocabulum κύμα: de qua re cf. quae dissernit Zinkius § 25. Simili modo in verborum contextum irrepsit versus Odysseae α', 344, qui in libri I fab. 14 legitur: quode cap. III dicitur.

1) Vide supra p. 20 adnotata.


valent: 'vel potius haec verba a me posita respondent verbis latinis.' Hanc veram rei rationem esse vel ex corruptis litteris elucet: respondent enim sibi invicem (ne reliquis restituendis vanam operam impendam) ἐναντίον et *ante*, ἀνὴρ et *uiri*, item in postremis verbis ἀΝΔΡΕ ΑΝΑΥΤΟΝ (id est ἄνδρα αὐτόν) et *uirum ipsum*: ut dubitari nequeat, quin corrector ille graeca verba latinorum interpretationem esse voluerit.

Simili ratione idem alteri cuidam loco succurrere studuit. Pag. enim 154 haec exstant: *nam ideo et Ramus dictus est*: ἀπὸ τῆς ῥαψωδίας *id est a scriptura*, Gothanus autem codex exhibet: *nam et ideo ramus dictus est apotu pala* ΜΗΘ. *vel apotes* Γραφία *id est ab scriptura*. Hic quid in graecorum vocabulorum priore lateat, non facile diiudicaverim; alterum autem (γραφία) patet appositum esse, ut interpretationi *scriptura* satisfaceret.

Non aliter res se habet in loco Platonis p. 144, ubi in editis haec habes: Νοῦς ἀνθρώπινος θεός, οὗτος ἐὰν ἀγαθός, θεός *euermenos, id est sensus hominis deus est, is si bonus est, deus est propitius*, Gothanus autem praebet: ποῦς ληθορ ποῦ Εἶτιν θεός Λυκοῦ Ε ΑΓΑΘΟΣ Εἶτιν θεός ΕΥΕΡΟΣ, hoc est secundum Iacobsium: νοῦς ἀνθρώπου ἐστὶ θεός, οὗτος εἰ ἀγαθός, ἐστὶ θεός εὐμενής¹⁾. Vocabulum ἀνθρώπου pro ἀνθρωπίνου et duplex illud ἐστὶ aperto indicio sunt haec quoque verba ab interpolatore profecta esse. Sed de his in praesens satis dictum esto.

Quod ad Virgilianam continentiam attinet, plerosque eius libros mss. una cum Mythol. librorum codicibus iam enumeravimus: accedunt tamen duo, quorum collationes in manibus sunt. Eorum alter est Bruxellensis 10082, saeculi XII, membranaceus, sic inscriptus: *Incipit phisica ratio F. Fulgentii P. super Virgilium*; alter Palatino-Vaticanus 1579, saeculi X, qui praeterea continet Senecae quaestiones naturales et proverbialia secundum litterarum ordinem digesta a manu saeculi XIII, in pagina autem 1 haec scripta habet: *Incipit expositio virgiliane filosofos moralis, in haec autem desinit: id est temporis uolubilitatem. Finis*. Horum quoque librorum ut mutuae rationes et affinitates pateant, stemmatis artificio uti liceat, quod infra posuimus:

1) Hoc tamen vocabulum minime respondet litteris traditis.



Communis autem originis non dubia vestigia etiam hi libri prae se ferunt. Velut in extremo fere libello post verba: *Euripides in tragoedia Ephigeniae ait magna verborum turba atque lacuna exstat in libris omnibus, quod quale sit, cap. III planius explicabitur*. Pariter autem atque Mythol. librorum codices, huius quoque libelli codices in duo genera distribuendos esse, versuum quos ex Euripidis Oreste scriptor p. 149 affert condicio doceat. In plerisque enim illi libris integri in hunc fere modum leguntur: *uc est in udendi non odipinepos ude patos ude simfor ateelatos es ucanar ret actos antro pofisis*, quorum in Guelferbytano I nihil praeter haec servatum est: *huc ē inutendi non odi piepos ude patos ude sim atro pofisis*: atque prorsus eadem lacuna in Bruxellensi exstat, qui quidem liber praeterea lacunis atque corruptelis adeo scatet, ut omnium deterrimus sit.

Reliquos libros si spectamus, inter Palatinum 1578 et Regi-nensem prorsus eadem ratio intercedit, quam supra in digerendis Myth. librorum codicibus significavimus. Ad eandem atque hi libri originem revocandus est Palatinus 1579, qui cum fere ad verbum cum illis consentiat, tamen ex neutro transcriptus est, quando uno loco unice veram scripturam solus servavit: pag. enim 148 versu 8 exhibet *libico in litore accipitur*, ubi illi *cibo in litore*, quod prorsus nihili esse perspicuum est. Praeterea ab illis eo discrepat, quod in fine libelli verba quae sunt *Vale, Domine, et mei tribulos pectoris cautius lege* non habet. Nec inscriptio codicis sana est: nam pro hac: *Expositio Virgi-*

lianae continentiae secundum philosophos moralis, haec tantum ille habet: *Expositio Virgiliane filosofos moralis*. Ex eodem cum Palatino 1578 et Reginensi fonte manasse Guelferbytanum II illud evincit, quod eo quem supra memoravi loco communem cum illis hanc scripturam habet: *cibo in litore^{ur}1)*. Aliquanto tamen eum a fonte remotiorem quam illos esse, haud paucae lacunae verborumque turbae documento sunt. Mirum est in medium huius codicis contextum integrum locum e Mythol. libri III fabula 2 irrepsisse: leguntur enim post *magistri* vocem p. 153 versu 2 haec inserta: *polica. matrem etiam policasten habuit, quasi policarpem, quod nos latine multifructam dicimus, id est terram.*

Restat ut paucis de Zinkii sententia disputem, qui Virgilianam continentiam imperfectam a scriptore relictam esse ratus p. 27 haec scribit: 'Es werden die folgenden bücher [inde a II], besonders die letzten 5, in wenigen zeilen abgehandelt. Zudem entbehrt die ganze schrift eines passenden abschlusses. Denn was wir jetzt am schlusse der abhandlung lesen, charakterisirt sich durch seine fassung, sowie durch den umstand dass es in den bessern handschriften fehlt, als fremdartiger zusatz eines abschreibers, der den schluss vermisste. Es ist somit anzunehmen, dass der schluss des werkes verloren gegangen ist, oder dass der autor selbst es nicht vollendet hat.' Ex his duabus coniecturis, quarum optio datur, neutra mihi probabilis videtur.

1) Item omnes tres libri eandem lacunam exhibent p. 140 versu 7, ubi haec praebent:

Currite Pierides vos enim mea pa — — —
Parrasias niveo compellite pectine chordas.

Vulgo expleto priore versu haec eduntur:

Currite Pierides et iuncto robore nobis
Parrasias e. q. s.

Sed verba *et iuncto* cum proximis non dubium est quin non minus docto alicui librario debeantur quam Gothani codicis haec: *Currite Pierides ex dextro numine nobis* e. q. s. Nam *pa* illud, quod in optimis libris est, ni fallor indicio est oculorum aberratione lacunam ortam esse; (in Palatino 1579 *pa* litterae rasura videntur deletae esse; in Brux. et Guelf. I eis omissis *mea* vocem statim excipit alter versus); de genuinis autem verbis restituendis res ipsa clamat desperandum esse.

Nam ut ab altera ordiar, Fulgentium ipsum librum imperfectum reliquisse prorsus incredibile est; videmus enim eum tamquam taedio stulte incepti captum ad finem properare, cum libros Aeneidos inde ab octavo paucis tantum verbis expediat atque ita rem, quam explicandam sibi proposuit, ad aliquem saltem finem perducere studeat. Nihil igitur reliquum erat, nisi forte ut amico valediceret: quamquam ne hoc quidem opus erat; nam nec Mythol. libri nec Expositio serm. eiusmodi exitum habent. Quod autem ad priorem coniecturam attinet, omnino fallitur Zinkius, cum a bonis libris exitum illum abesse putat; immo optimi antiquissimique codices, Palatinus 1578 et Reginensis, in illa ipsa verba desinunt, quae iniuria Zinkius alicui librario tribuit.

[Caput III propediem prodibit in 'Actis societatis philologiae Lipsiensis'.]
